

rendo etiam applicationem sacramenti, si opus sit, mereri tamen alicui gratiam dandam sine sufficienti dispositione et sine sacramento, est præter legem Dei ordinariam. Et ideo sine speciali miraculo impetrari non potest; alias possemus etiam a Deo mereri, ut parvulus sine baptismo salvetur, vel ut parvulus jam baptizatus crescat in gratia, antequam possit habere actum. Quid enim refert impetrare hoc augmentum concomitanter eo tempore quo datur baptismus, vel postea? aut si semel hoc augmentum impetrari potest, cur non iterum atque iterum? at vero magnum absurdum esset hæc omnia admittere secundum ordinariam legem; alioquin fieri posset, ut parvulus vel adultus dormiens aut nihil de salute sua cogitans unico momento abundantissimam gratiam consequatur, si multi justi pro illo orant, et unusquisque aliquem gratiæ gradum illi impetrat; deberemus etiam omnes pro parvulis sic orare, ut in gratia crescant, etiam dum incapaces sunt priorum actuum. Hoc autem est plane falsum et inauditum in Ecclesia. Signum ergo est, non esse possibilem hujusmodi modum meriti secundum legem ordinariam, aut sine speciali miraculo. Cujus ratio propria est, quia essentielle præmium meritorum est gloria, quæ gratiæ respondet; et ideo non augetur gratia, nisi per propria merita, vel per merita Christi sufficienter applicata per sacramentum; unde cum aliquis pro alio orat, aut ei de congruo meretur, per illam orationem, vel meritoriam operationem, sibi ipsi meretur de condigno præmium gratiæ et gloriæ proportionatum et adæquatum. Et ideo non potest mereri alteri immediate tale præmium; aliquod autem auxilium vel bonum motum, quo alter se præparet ad gratiam suscipiendam, mereri potest, quia hoc est quasi accidentarium præmium respectu merentis. Respectu autem alterius, est principium, quo se disponat ad gratiam vel augmentum ejus obtinendum. Et ideo hujusmodi meritum solum habet locum respectu adultorum, qui sunt capaces divinarum motionum. Unde fit tandem, ut oratio ministri possit prodesse suscipienti sacramentum, si adultus sit, ut a Deo moveatur, quo melius se disponat ad suscipiendum sacramenti effectum; non tamen, ut immediate ac sine meliori dispositione, abundantior gratiam recipiat.

5. *Ut melius disposito major gratia tribueretur oportuit. — Objectio. — Attritio quæ est dispositiva ad primam gratiam falso fingi-*

tur esse meritoria novi augmenti. — Dico tertio: sacramentum ejusdem rationis confert majorem effectum gratiæ homini melius disposito. Hæc est communis sententia Theologorum, quos retuli. Tenet etiam Ledesm., 1, p. 4, quæst. 22, art. 4, dub. 2, et eam indicat Damascen., lib. 4, cap. 20, dum inquit: *Quamvis peccatorum remissio omnibus æque per baptismum detur, Spiritus tamen gratiæ pro fidei ac præcedentis purgationis modulo ac ratione comparatur.* Idem colligitur ex Concil. Trident., sess. 6, cap. 7, dicente, nos justificari, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam uniuscujusque dispositionem et cooperationem. Et loquitur eo loco de justificatione, quæ fit per baptismum. Ratio a priori hujus conclusionis petenda est ex Christi institutione; potuit enim ita instituere et promittere gratiam unicuique sacramento, ut voluerit illam non esse absolute æqualem in omnibus, sed proportionalem et accommodatam uniuscujusque dispositioni. Quod vero ita fuerit facta institutio, solum potest congruentiis declarari. Primo, quia ad suavem Dei providentiam et sapientem ac justissimam distributionem pertinet, ut melius disposito major gratia conferatur. Secundo fuit hoc expediens, ut homines excitarentur ad recipienda sacramenta cum majori devotione et reverentia, saltem propter spem majoris fructus. Tertio, quia causæ naturales melius operantur circa passum melius dispositum; decuit ergo, ut causæ gratiæ (ut sic dicam) eandem proportionem observent. Nec ad hæc omnia satis est, ut homo ipse per meliorem dispositionem aliquid amplius mereatur, vel obtineat; quia hoc totum est ex opere operantis. Unde non sufficit ad propriam causalitatem sacramentorum, quæ est ex opere operato. Et confirmatur, quia si duo accedant ad sacramentum cum sola attritione, in gradu tamen et perfectione inæquali, vel recipiant æqualem gratiam, et ita non justificabuntur juxta uniuscujusque dispositionem, quod est contra Concilium; vel unus recipit majorem gratiam quam alius; et ita necesse est sacramentum ex opere operato habere majorem effectum in uno, quam in alio, quia attritioni secundum se nullus gradus gratiæ respondet. Sed ad hoc respondere potest aliquis, duplicem gratiam esse ibi considerandam: alteram per modum gratiæ primæ, quæ datur ex opere operato, virtute solus sacra-

menti; et hæc esse æqualem in utroque homine; quia ut argumentum probat, nihil hujus gratiæ respondet attritioni secundum se. Altera vero gratia potest ibi considerari per modum augmenti, quatenus attritio jam informata gratia fit meritoria coram Deo; videtur enim esse meritoria alicujus augmenti gratiæ, cum prior gratia nullo modo ratione illius data sit, sed solum ratione sacramenti. Sed hæc responsio supponit quiddam, vel falsum, vel valde incertum; scilicet, per attritionem informatam gratia sacramentali mereri hominem augmentum gratiæ in eodem instanti conferendum. Nam, cum ipsa sacramentalis gratia simul detur ratione attritionis in genere causæ dispositivæ, sine causa dicitur, habere eandem attritionem causalitatem meritoriam circa novum gradum gratiæ; alias eadem contritio, quæ ut antecedit primam gratiam, est dispositio ad illam, ut informata per illam esset meritoria novi augmenti, quod est falsum et contra omnes, ut constat ex materia de gratia. Unde confirmatur, quia si homo contritus sit et simul sacramentum suscipiat, non meretur augmentum gratiæ; ergo multo minus illud merebitur homo attritus. Ac tandem, quia per illam attritionem meretur primam gloriam, quantum potest, et illud est condignum præmium. Deinde, quidquid de hoc sit, non satis fit argumento, quia formaliter loquendo de gratia prima, qua sanctificatur homo et transfertur de morte ad vitam, illa non daretur secundum propriam uniuscujusque dispositionem, si æqualis esset; at hoc repugnat doctrinæ Concil. Trident.

6. *Quæ sit dispositio, qua crescit sacramentalis effectus. —* Sed quæres, quænam sit hæc melior dispositio hominis suscipientis sacramentum, ratione cujus crescit sacramentalis effectus; fieri enim potest, ut unus excedat alterum in habituali gratia et sanctitate, non tamen actuali devotione et reverentia; in ipsa etiam actuali dispositione potest esse diversitas, vel in specie actus, ut si unus sit attritus et alter contritus, etc.; vel in intentione, ut si unus accedat cum affectu charitatis intenso, alius cum remisso; vel in multitudine actuum, ut si unus accedat cum uno actu, alius cum duobus, alius cum pluribus; vel in actuali, vel virtuali præsentia, ut si quis in eodem momento, in quo recipit effectum sacramenti, sit in actuali dispositione, alius vero, licet proximo antecedenti tempore multis actibus se disposuerit, in ipsa tamen

actuali susceptione sacramenti non habeat hujusmodi actum physice præsentem. Nam tota hæc dispositio censetur actualis, quia per proprium actum facta est, et moraliter manet, licet physice non duret. In hac igitur tanta dispositionum varietate et quacumque alia, quæ facile excogitari potest, dicendum videtur, ad effectum sacramenti maxime conferre actualem dispositionem, quia in ea maximum locum habent congruentiæ adductæ, ob quas sacramentum ita est institutum, ut majorem conferat gratiam melius disposito; nam moraliter loquendo, illa est proprie dispositio; nam in ea aliquid homo de suo confert cum divina gratia, ut dignius sacramentum recipiat; habitualis autem gratia potius pertinet ad quamdam personæ dignitatem et ad excludendum impedimentum peccati. Deinde addendum, hæc dispositionem moraliter esse considerandam; nam illa, quæ pensatis omnibus circumstantiis, melior est et laudabilior et magis proportionata ad effectum sacramenti, conducet ad augmentum ejus; et hoc modo inter alias circumstantias poterit etiam juvare major gratiæ dignitas, quatenus aliquo modo redundat in actum et facit illum esse majoris valoris, ac dignitatis moralis.

DISPUTATIO VIII.

DE TEMPORE, IN QUO SACRAMENTA GRATIAM CONFERANT.

Tria sunt tempora, de quibus disputare possumus. Primum est, quod duratione antecedit susceptionem sacramenti. Secundum est illud, in quo sacramentum recipitur. Tertium esse potest post transactam susceptionem sacramenti; de quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Utrum sacramenta interdum conferant gratiam ex opere operato, antequam recipiantur.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia interdum contingit consequi effectum sacramenti per solum votum et desiderium sacramenti; quod inductione ostendi potest in quinque sacramentis, quæ ad utilitatem singulorum fidelium instituta sunt; nam de duobus aliis, quæ sunt ordinata ad bonum totius cœmunitatis, scilicet Ordine et matrimonio, æquo existimare potest, quod conferant sacramentalem

effectum per solum sui desiderium. Quis enim dicat consequi aliquem sacramentalem gratiam Ordinis vel matrimonii, eo quod ordinari aut uxorem ducere cupiat. Et ratio est aperta; quia hæc duo sacramenta instituta sunt ad juvandos homines in tali statu vel dignitate constitutos; et ideo donec re ipsa in eo statu constituentur, non est cur recipiantur sacramentales effectus illorum sacramentorum; non constituuntur autem in eo statu per solum desiderium, sed per realem susceptionem talium sacramentorum. Ex aliis igitur sacramentis, baptismus in solo voto susceptus peccatum originale delet et hominem in Christo regenerat, qui est proprius effectus talis sacramenti; et similiter sacramentum poenitentiae in voto acceptum resuscitat spiritualiter hominem et tollit mortale peccatum post baptismum commissum. Præterea, sacramentum Eucharistiae, tantum spiritualiter acceptum et non sacramentaliter, auget gratiam, ut sentit D. Thomas, infra quæst. 90, art. 4 ad 3, ubi propter hanc causam generaliter dicit effectum sacramenti posse ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re; atque idem dixerat, quæst. 66, art. 41, 68, art. 2, 73, art. 3. Unde Soto, d. 41, quæst. 2, art. 4, refert, quosdam asseruisse, sacramentum Eucharistiae solum spiritualiter susceptum interdum dare effectum ex opere operato, saltem in extrema necessitate. Denique eadem fere ratio est de confirmatione et extrema unctione, quod scilicet effectus suos præbeant per solum desiderium sui, præsertim in casu necessitatis, si re ipsa suscipi non possint, quia licet hæc duo sacramenta non sint tam necessaria, sunt tamen valde utilia, et urgente necessitate mortis, vel fidei confidendæ, possunt dici moraliter necessaria. Ratio vero generalis est, quia hæc sacramenta instituta sunt ad subveniendum humanæ necessitati et infirmitati, cui homo sæpe subesse potest, cum sacramentum suscipere non potest; ergo ad benignitatem et liberalitatem Christi pertinuit, ita instituere hæc sacramenta, ut possint effectus suos conferre, tantum per fidem et desiderium applicata, præcipue in casu necessitatis; sicut olim passio Christi, antequam in re exhiberetur, per fidem vivam applicata, effectus gratiæ præstabat, quia necessitas illius temporis hoc exigebat.

2. *Sacramenta antequam re ipsa applicentur, non tribuunt gratiam ex opere operato.* — Nihilominus dicendum est, sacramenta

nunquam conferre gratiam ex opere operato, antequam re ipsa sumantur seu applicentur. Ita sentit Alexand. Alens., 4 par., quæst. 41, memb. 3, art. 3, ubi in specie de Eucharistia loquitur; generalius et expressius hoc docuit Soto loco supra citato, et d. 12, quæst. 1, art. 1, et Ledesm., 4, p. 4, quæst. 21, art. 1, ubi dicit per sacramentum in voto non recipi effectum sacramenti ex opere operato, sed alium; addit tamen, forte per huiusmodi desiderium bonum de altero objecto cæteris paribus; sed hæc limitatio non est necessaria quia cum per desiderium sacramenti nihil omnino detur ex opere operato, fructus ejus eodem modo comparatur ad fructum alterius boni desiderii, quo ipsamet desideria inter se fuerint æqualia vel inæqualia in bonitate morali vel in ratione meriti. Unde idem auctor, p. 22, art. 4, dub. 1, eandem sententiam sine limitatione repetit. Et probatur primo, quia effectus sacramentorum non sunt promissi, nisi reali usui sacramentorum, ut patet ex illis verbis: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Secundo probatur aperte in quibusdam effectibus propriissimis sacramentorum, ut sunt character baptismi, vel confirmationis, quos certissimum est non magis posse conferri per solum votum, sine reali susceptione sacramenti, quam characterem Ordinis. Nam si per baptismum in voto imprimeretur character, non posset postea recipi baptismus in re. Et quanquam hic effectus non pertineat ad effectus gratiæ, de quibus nunc loquimur, tamen sumimus argumentum a paritate rationis seu a signo. Alius effectus est in baptismo, remissio totius poenæ simul cum culpa; hic enim non datur per baptismum in voto ad modum operis operati; alias omnes Catechumeni, qui justificarentur per contritionem includentem baptismum, consequerentur remissionem totius poenæ, quod falsum est. Tertio a posteriori potest ratio sumi, nam, qui accepit sacramentum in voto et desiderio, quando postea re ipsa illud suscipit, integrum effectum sacramenti ex opere operato recipit; ergo signum est, sacramentum nihil prius contulisse ex opere operato; alias idem numero sacramentum sæpius conferret effectum suum, unde posset quis etiam dicere, si post sumptum sacramentum iterum quis cogitet de tali sacramenti sumptione, atque de illa gaudeat et de novo in ea consentiat, per huiusmodi actum accipere effectum ex opere operato, quia non minus bonum est gaudium de usu sacramenti,

quam desiderium ejus, unde non est cur sit minus efficax.

3. *Ad rationem dubitandi respondetur.* — *Sacramentum in voto non confert effectum gratiæ, nisi actus operantis sit ex se sufficiens ad illum dispositio.* — Ad rationem ergo dubitandi propositam respondetur, negando inductionem factam; nam, quando datur prima gratia, vel remissio peccati per solam contritionem includentem votum baptismi vel poenitentiae, ille effectus non est proprie ex opere operato talium sacramentorum, sed est idem effectus, qui responderet contritioni, ut dispositioni operantis, qui effectus suo modo et in suo genere est connaturalis tali dispositioni, et ideo et semper illum habuit ante sacramentorum institutionem, et post sacramenta instituta eundem retinuit, cum ordine tamen et habitudine ad aliquod ex dictis sacramentis, quod in voto includit. Cujus signum est, quia sola attritio, etiam si fiat cum expresso voto sacramenti suscipiendi, non sufficit ad illum effectum, nisi sacramentum realiter applicetur, quia nimirum applicatum per solum votum non sufficit ad dandum effectum, et ideo nunquam datur, nisi alias ipse actus operantis ex se sit sufficiens dispositio ad gratiam obtinendam; et tunc illa non est proprie effectus sacramenti, sed dispositionis cum ordine ad sacramentum. Ad aliud de Eucharistia respondetur, per desiderium Eucharistiae formaliter ac proprie non comparari sacramentalem effectum Eucharistiae; obtineri tamen majorem unionem ad Christum per gratiam et charitatem ex merito operantis, si ille in gratia sit. Nam, si fortasse sit in peccato, etiam si tale desiderium habeat putans invincibiliter se esse in gratia, nullum gratiæ effectum obtinebit, quod etiam est signum, ibi non intervenire effectum ex opere operato. Cum ergo D. Thomas ait, effectum sacramenti recipi interdum per votum sacramenti, non loquitur de effectu secundum relationem effectus (ut sic dicam), sed secundum naturæ similitudinem, quemadmodum interdum dicimus, effectum ignis interdum fieri ex sole sine igne, non quia, quando fit tantum a sole, tunc sit effectus ignis, nam re vera non est, cum ab illo non fiat, sed quia ille effectus est ejusdem rationis cum eo, qui fieri solet ab igne; ita ergo effectus sacramenti dicitur fieri per votum sacramenti, non quia

sit effectus sacramenti, sed quia est quidam effectus ejusdem rationis cum illo, qui per sacramentum daretur, si re ipsa applicaretur; et hoc sensu dixit etiam Concil. Trident., sess. 13, cap. 8, eos, qui voto caelestem panem edunt fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentire. Quia nimirum in charitate crescunt et magis in Christo uniuntur, qui est fructus illius sacramenti, quamvis tunc non sit ab illo sacramento, ut a propria causa, sed ut ab objecto; atque hic plane est sensus D. Thomæ in citato loco.

4. *Non omnis effectus sacramenti obtineri potest per votum sacramenti.* — Advertendum vero est, non omnem effectum sacramenti posse obtineri per solum votum sacramenti, etiam in prædicto sensu, sed solum illum, qui proportionatus est dispositioni, vel merito operantis; aliquis enim effectus sacramenti talis est, ut nunquam per merita, vel dispositionem obtineri possit, ut de characterem diximus; et idem est de remissione peccati cum sola attritione, vel de remissione totius poenæ sine condigna satisfactione, et fortasse aliquod genus auxilii datur per sacramenta realiter suscepta, quod sine illis nunquam datur. Alii vero sunt effectus sacramentorum, quorum similes obtineri possunt per merita, vel dispositionem operantis, ut sunt remissio peccati, et prima gratia, charitatis augmentum seu nutritio, auxilium sufficiens ad vincendas tentationes, et hi effectus dicuntur interdum fieri in voto sacramenti in sensu jam explicato. Unde patet responsio ad aliam partem de confirmatione et extrema unctione, quia in illis multo minor est necessitas. Ad congruentiam vero ibi insinuatam respondetur, potuisse Christum illo modo instituere sacramenta, si vellet; quod autem non fecerit, constat ex dictis, et quia nullum est probabile fundamentum vel auctoritas ad explicandam aliter voluntatem et institutionem ejus, nec oportuit aliter fieri, quia hoc modo satis subventum est humanæ necessitati, et alioqui magis consentaneum est naturis rerum, ut causa efficiens, quale est sacramentum, prius existat, quam operetur, et ad conciliandam reverentiam et amorem ad usum sacramentorum conveniens fuit, ut haberent proprios effectus, quos in ipso usu conferrent, et non absque illo.

SECTIO II.

Utrum sacramenta conferant gratiam, dum suscipiuntur, in aliquo tempore, vel instanti.

1. *Speciale auxilium, qui est effectus sacramenti, sæpe non datur simul cum sacramento.* — In hac re certum est, sacramenta maxime conferre effectum gratiæ sanctificantis, quoniam actu suscipiuntur, si in suscipiente non sit obex, ut patet ex definitionibus Conciliorum supra adductis, et ex omnibus aliis hactenus disputatis de hoc effectu, et ex illa ratione generali, quod causa efficax statim operatur, ac est, si ex parte effectus vel subjecti non sit repugnantia; sed sacramentum de se est causa efficax gratiæ, et ex parte ipsius gratiæ non repugnat statim fieri; ergo, si ex parte subjecti non sit obex, statim sacramentum operabitur. Locutus sum autem de effectu gratiæ sanctificantis seu habitualis, quia sacramentalis gratia, prout speciale auxilium significat, non semper datur statim, quoniam sacramentum accipitur, etiam si tunc suscipiens non ponat obicem, sed postea tempore opportuno juxta finem et institutionem sacramenti; ut verbi gratia, quando homo recipit sacramentum confirmationis, statim recipit augmentum gratiæ, et plenitudinem Spiritus Sancti per dona habitualia seu eorum perfectionem, non tamen statim recipit in actu secundo singulare auxilium ad confitendam fidem; sed tunc recipit illud quasi in actu primo, seu consequitur jus ad obtinendum illud, cum oportuerit; et simile est de sacramento Ordinis, matrimonii, et aliis. Quod autem hic effectus non statim detur, neque est ex defectu sacramenti, neque ex defectu suscipientis, sed ex vi ipsius institutionis, quæ facta est modo accommodato tali effectui; gratia enim habitualis, quia natura sua est permanens, et magna perfectio, quæ semper et ad omnia potest esse utilis, ideo merito statim datur; auxilium vero actuale non est de se durabile ac permanens, nec propter se datur, sed solum propter aliquem actum exercendum; et ideo ex se postulat, ut tunc solum detur, quando est tempus opportunum ad exercendum actum, propter quem datur; tunc autem statim infallibiliter datur, si pro eo tempore homo obicem non ponat; et ita in hoc potius conspici potest perfectus modus, quem sacramenta habent conferendi gratiam, scilicet tempore opportuno, et unicuique gratiæ accommodato

2. *Utrum sacramenta conferant gratiam in tempore, an in instanti.* — Superest vero circa priorem partem vulgaris difficultas, an sacramenta conferant gratiam habituales in tempore, vel in instanti, et si in instanti, quodnam illud sit. Ratio autem difficultatis est, quia sacramentum, seu usus ejus, non fit in instanti, sed in tempore, quia successive fit; ergo non potest efficere gratiam, quando fit, quia tunc nondum est perfectum, neque habet suam absolutam significationem, et ideo simpliciter loquendo nondum est sacramentum, ut patet in forma baptismi, vel Eucharistiæ; quamdiu enim quis profert verba: *Hoc est corpus, donec absolvat ultimam particulam, meum*, nondum fecit sacramentum, et idem est de cæteris. Ergo toto illo tempore, quo fit sacramentum, non fit gratia, quia nondum est sacramentum, per quod efficienda est. Rursus, cum primum sacramentum absoluitur, jam non est, quia, cum sit ens successive, desinit per primum non esse (loquor de sacramentis, quæ consistunt in usu); ergo nunquam sacramenta conferunt gratiam, dum fiunt vel existunt.

3. *Prima sententia.* — Ad hanc difficultatem varii sunt modi respondendi. Primus est, sacramenta conferre gratiam non in instanti, sed in tempore, non definito, ac certo, sed indeterminato, scilicet, in illo tempore, quod immediate antecedit illud instans, quod est primum non esse sacramenti, nam in illo instanti consummatur sacramentum extrinsece. Ergo in tempore immediate ante illud consummatur intrinsece; ergo in eodem tempore immediate ante illud, confert suum effectum, quia operatur statim, ac est, cum sit efficax; sed tempus illud, quod immediate antecedit instans, est indeterminatum, quia nulla pars temporis secundum se totam immediate conjungitur, seu antecedit ante aliquod instans, ut per se notum est; ergo sacramentum confert gratiam in tempore indeterminato, ita ut, qualibet particula temporis designata, non fiat gratia in tota illa, sed in minori, ac in minori, etiam si in infinitum procedatur, versus prædictum instans extrinsecum, quod est primum non esse sacramenti. Unde etiam fit, sacramentum non conferre gratiam per aliquam sui partem determinatam, seu quamdiu illa durat, sed per indeterminatam. Quod autem hic modus conferendi gratiam non sit impossibilis, ita potest a contrario declarari: nam peccatum committi potest in tempore immediato ante hoc instans, et non antea, neque

postea; ergo et gratia potest desinere esse intrinsece in tempore immediato ante instans; ergo eadem ratione potest in eadem mensura incipere. Antecedens patet, si constituamus hominem justum habentem præceptum amandi Deum ante primum instans mortis; nam, si hic homo toto hoc tempore non diligit, peccat mortaliter et perdit gratiam, et non in ipso instanti mortis, quod est primum non esse hominis, tum quia immediate ante illud instans transgressus fuerat præceptum, nam pro illo tempore obligabat, et non pro instanti mortis; ergo ante illud instans peccavit et perdidit gratiam, quæ nec simul est cum peccato, nec prius amittitur, quam peccatum committatur; tum etiam, quia non potest aliquis toto tempore vitæ esse in gratia, et in primo non esse illam perdere; neque etiam peccat et perdit gratiam in aliquo instanti ante instans mortis, quia, quolibet signato, inter illud et instans mortis mediat tempus, in quo potest impleri præceptum; ergo nondum erat violatum præceptum, nec gratia erat perdit; ergo non potuit amitti, nisi in tempore immediato ante instans.

4. *Refutatur ista sententia.* — Nihilominus hæc sententia falsa est, primo quidem, quia ille modus inceptionis, tam gratiæ, quam cujuslibet qualitatis, est impossibilis, unde omnes philosophi duos tantum modos inceptionis rerum distinxerunt, scilicet per primum sui esse et per ultimum non esse; ille autem, qui est solum in tempore immediato ante aliquod instans, sub neutro horum comprehenditur, ut facile probari potest, quia nullum potest signari instans, quod sit primum esse gratiæ, tum quia dicitur intrinsece incipere in tempore et non in instanti; tum etiam, quia neque illud instans, in quo consummatur sacramentum, est primum esse gratiæ juxta hanc sententiam, quia dicitur esse immediate ante illud, neque etiam aliquod præcedens instans, quia nullum est immediatum. Unde si in aliquo instanti præcedenti inciperet gratia, inter illud et aliud instans consummativum sacramenti intercederet tempus, in quo non primo fieret gratia, sed conservaretur; et ita non fieret in tempore immediato ante illud instans, ut hæc sententia supponit; ergo juxta hanc sententiam non incipit gratia in instanti per primum sui esse. Rursus, nec incipit per ultimum non esse, quia, si posset figurari instans, in quo ultimo gratia non esset, intrinsece inciperet habere esse in tempore immediato post illud instans; repugnat autem simul

incipere in tempore, quod immediate antecedit instans et quod immediate subsequitur; nam, vel illud instans est unum et idem, vel sunt diversa instantia: si est unum, non potest idem terminus immediate antecedere et subsequi; neque eadem res potest simul incipere in diversis temporibus, quorum unum immediate antecedit et aliud immediate subsequitur idem instans; si autem instantia sunt diversa, inter illa intercedit tempus, unde necessario fiet, ut multo magis inter se distet tempus, quod antecedit unum instans, et quod subsequitur aliud; ergo juxta hanc sententiam nullo modo assignari potest instans, quod sit, vel primum esse, vel ultimum non esse gratiæ quæ per sacramentum fit. Hoc autem esse impossibile probatur, nam cum esse gratiæ, quæ fit, immediate sequatur post non esse ejus, necesse est intelligere, illa duo esse quasi continua vel contigua, per coexistentiam ad nostrum tempus; ergo necesse est dari unum instans, quod dividat esse a non esse, et sit terminus unius, et initium alterius, et uni extrinsecum, et alteri intrinsecum; atque adeo quod sit primum unius et ultimum alterius. Quæ ratio tam de gratia, quam de omnibus aliis rebus, et tam de inceptio, quam de desitione generaliter convincit, non posse accidere, nisi alterutro ex duobus dictis modis, scilicet per primum esse, vel per ultimum non esse; aut per primum non esse, vel ultimum sui esse. Præterea, si verum est, sacramenta physice ac proprie efficere gratiam, ex eo capite habet hæc sententia specialem difficultatem, quia intelligi non potest, Deum uti aliqua re, ut instrumento, et tamen illam non esse certam et determinatam, et ut talem cognosci a Deo. Quod potest declarari argumento simili supra facto, nam sacramentum successive fit, et non confert gratiam toto tempore, quo fit. Ergo non confert gratiam per omnes partes suas. Ergo si efficit illam per aliquam partem ex ultimis, poterit signari instans distinguens partes sacramenti, quæ efficiunt, ab his quæ non efficiunt, ita ut in illo sit verum dicere, usque ad hoc instans partes sacramenti nihil effecerunt, posthac vero efficient, vel e contrario, nunc incipiunt efficere, immediate ante non effecerunt; quia illæ partes immediate sibi succedunt. Ergo necesse est, ut tota efficientia sacramenti claudatur inter duo instantia, scilicet inter illud, quod distinguit partes efficientes a non efficientibus, et illud in quo consummatur sacramentum. Ergo, si efficientia sacramenti est per aliquam partem